

Copia notarile in Archiv. Attems IV./14 f, 83 s Morelli I. e II. 256, IV. 149 ss.

In nomine sanctissimae et indiuiduae Trinitatis, Patris Filii et Spiritus Sancti. Amen. Ego Vitus Gullin Prothonotarius apostolicus etc. sanus per Dei gratiam mente, sensu et intellectu corpore autem ob meam nimiam senectutem debilis et infirmus cogitans quod nihil sit certius morte et nihil incertius hora mortis circa meam substantiam et de bonis temporalibus atisque rebus a Deo mihi collatis omni meliori modo, uia et forma tum pro salute animae meae, tum etiam pro mearum consanguineorum quiete et ad euitandas omnes lites et iurgia in hunc sequentem modum disponere meamque ultimam uoluntatem inscriptis declarare statui et uolui. Et imprimis quidem animam, quae nobilior corpore rebusque terrenis humillime, ac deuote Deo omnipotenti, eiusque gloriosae et immaculatae Mariae semper Vergini, Arcangelo Michaeli, Angelo meo Custodi, totique Curiae Coelesti; Corpus uero Terrae Matri, unde suam traxit originem, dum anima ab eo separata fuerit in Capella Diui Francisci Xauerii Rectorum. PP. Societatis Jesu remota omni pompa mundana uesperis in curru ad sepeliendum debeatur dieque sequentis si fieri potest omnium religiosorum duo paria, Petrini autem quotquot haberi potuerunt ad legenda sacra pro mea anima inuitentur, eisdemque iuxta morem patriae solutio detur, nec non illo die ab inframemorato huius meae ultimae Voluntatis Executore pauperibus magisque egentibus 25, florenos distribuendos esse statuo et ordino. Et quia omnia legata pia, quae post obitum meum persoluenda erant adhuc in uita a me persoluta fuerint quibus adhuc modo adiungo uolens. ut pro mea sepultura Venerabili Capellae S. Francisci Xauerii a meo Executore testamentario in parata pecunia persoluantur fl. 50. Item uolo et ordino, ut mea Dilectissima Soror eiusque Maritus Iacobus Spiera post meam mortem sint usufructuarii illorum uita durante duarum mearum Vinearum una cum Domo ibidem existentium in San Pas, nec non camporum in Smet in Comitatu Goritiensi, ita tamen ut ista bona bene excolta et elaborata seruari teneantur, et post illorum mortem ad infranominatum Beneficium reuertantur, et incorporentur. Vltimus ordino et statuo, ut ex meis Bonis in Comitatu Goritiensi existentibus, meo Fratri Andreae eius uita durante pro illius alimentis singulis septimanis unus florenus pendatur. Item Illmae. Dnae Viduae Baronissae a Wirzburg in signum gratitudinis, et singularis affectus, nec non beneficiorum omni tempore et hac potissimum mea diuturna infirmitate ab eadem acceptorum lego florenos 500. Item meos libros Ecclesiasticos Rectorum. P.P. Capucinis in Leibniz, iuristas uero aliosque seculares Dno. Doctori Vitelli. Et cum mihi nihil aliud pro coronide huius meae ultimae uoluntati, quam Haereditas institutio hinc animo bene deliberato, et hoc maxime bene perpenseo quod ego hanc meam exiguam facultatem in statu Ecclesiasticum quoque applicandam esse statuo, uolo et ordino quatenus mea reliqua bona, mobilia, stabilia, pecuniae, actiones iura et credita quocumque modo ad me spectantia persolutis prius tamen persoluendis pro fundatione, et

errectione Episcopatus Goritiae sub titulo Sancti Vitti, si autem in errigendo praefato Episcopatu tales insurgereat difficultates quo minus errigi possit ex nunc pro tunc uolo et ordino ut ex praefatis omnibus mobilibus et stabilibus unum Beneficium Ecclesiasticum pariter sub titulo Sancti Vitti sub perpetuo jure Patronatus Gullianae Familiae instituat ad quod proximior e mea parentella Sacerdos Petrinus pro Beneficiato admittatur, qui singulis diebus suum sacrum cantatum pro anima mea, meorumque genitorum cum distribuzione 5 florenorum in pauperes applicare et celebrare teneatur. Ne autem mea (reliqua) Bona stabilia usque ad erectionem praefati Episcopatus aut Beneficii Ecclesiastici sine inspectore et administratore (remaneant), supradictum Jacobum Spieram affinem meum, obligando eundem ad reddendas ratione suae administrationis ad quem tunc temporis spectabunt, Capitalia autem mea uolo et ordino ut remaneant immota et intacta, aliaque mea bona mobilia, quae seruando seruari poterunt, usque dum tempus fuerit Bona stabilia coemendi fundatione Episcopatus aut alterius Beneficii Ecclesiastici, quorum census elapsi et labentes ad Massam Haereditariam accumulandos et applicandos esse statuo et ordino. Ad hoc ut autem hoc meum testamentum et ultima uoluntas in omnibus et singulis ad unguem executioni mandatur pro Commissario et executore eiusdem rogo et constituo Dnum. Doctorem Fabianum Vitelli meum optimum amicum in quo, summe confido propter affectum, quo ego illum et ille me semper prosectutus est, mihi in omnibus fideliter astitit cui lego fl. 300. Et hoc est meum testamentum ac ultima Voluntas quae uolo ut habeat uim testamenti, sin minus uim et robur Codicilli aut donationis mortis causa, et non solum hoc sed etiam omni meliori modo et forma tam de jure canonico, et Ciuili, quam de consuetudine, et Vigore huius Inclitae Prouintiae Styriae, ac Comitatu Goritiensis Constitutionum, Humillime Suam Sacram Caesaream Majestatem rogans eiusque hac Eccelsa Tribunaliaquatenus hanc meam ultimam uoluntatem taliter manutenere uelint, ne ulli mortalium eandem alterare, minuere, aut quocunque modo infringere liceat. Quae omnia et singula praemissa ut, maius robur capiant meae propria manus, ac Dominorum testium subscriptione sigillique appositione corroborata esse uolui.

Actum Graecii die 29 Octobris 1686

L. S. Vitus Gullin

L. S. Wolfgangus Adamus Josephus Geroldt. Capellanus Graecensis,

L. S. Mattias Mejach Parochus et Archidiaconus

L. S. Joannes Bapt. Stermschsch L. S. Joannes Sigismundus Voller Curatus Graecensis

L. S. Sebastian Fridichs I Stadtpfarr Mesner

L. S. L. S. Mattheus Winkler Vicarius Graecensis

L. S. Stephan Covacig Flegerus Parrochiae Grecensis.